AD SANCTISSIMVM D.D.

INNOCENTIVM X.

SVMMVM PONTIFICEM,

Deſolatæ Confraternitatis Sanctiſſimi Stellarij
Beatæ Mariæ Virginis.

Supplicatio pro illius inſtauratione.

PER ANTONINVM ANGELICVM
Siculum conſcripta.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PANORMI, EX TYPOGRAPHIA
Hæredum Roberti Cyrilli.

Superiorum Permiſſu.

M DC XXXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Summum Pontificem INNOCENTIVM X.

Deſolatæ Confraternitatis Sanctiſſimi STELLARII Immaculatæ Conceptionis Beatiſs. V. M.

Supplicatio pro eiuſdem Confraternitatis reſtauratione.

IAM floruit in S. Dei Eccleſia, PATER BEATISSIME, Illuſtriſſima, & pijſſima deuotio Coronæ Sanctiſſimi Stellarij Conceptionis Immaculatæ Deiparæ Virginis Mariæ, quæ conſiſtit in recitatione trium Pater noſter, &c. & totidem Gloria Patri, &c. & duodecim Aue Maria, &c. in memoriam duodecim priuilegiorum, quæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus eidem Deiparæ conceſſerunt. quam deuotionem præcipuè colebat Congregatio ex illius nomine Confraternitas Sanctiſſimi Stellarij Beatæ Virginis Mariæ nuncupata, quæ multiplici auctoritate, & quam plurimis, magniſq; Indulgentijs Summorum Pontificum veterum, ac recentiorum communita, exornata, & roborata fuit, vt inferius apparebit. Verùm vt quondam Mulieri illi duodecim Stellis Coronatæ, quam Ioannes in Apoc. vidit, ſe oppoſuit Draco magnus, & rufus, qui cauda ſua traxit tertiam partem Stellarum Cœli, & miſit eas in terram: ita Sacræ Stellarij Confraternitati myſticè in ſtellata fulgentique illa Muliere præfiguratæ, ſe oppoſuit ſuperbus, & malignus Dæmon, qui inuidens gloriæ, & fructibus, qui ex illius pio cultu, Deo, Apo. 12. 3.

Matri eius, & fidelibus obueniebant, per ſuos miniſtros varijs modis illam deſtruere, & ad nihilum redigere molitus fuit: Nec infructuoſus fuit illius conatus, nam ab illa deuotione quam plures illius cultores retraxit, qui velut fulgentiſſimæ Stellæ Cœlum Sanctæ Eccleſiæ exornantes Cœleſti exercitio ad terrena conuertit. Id porrò obtinuit per duo ſubreptitia Breuia, alterum ſub nomine Vrbani VIII. Ann. 1640. 19. Ian. Alterum Innocentij X. Ann. 1645. 23. Nouemb. euulgatum, tenoris ſequentis.

FERIA V. DIE XXIII. NOVEMBR. M DC XLV.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo Domino Noſtro INNOCENTIO Diuina Prouidentia Papa X. ac Eminentiſſimis, & Reuerendiſſimis DD. Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalibus in Vniuerſa Republica Chriſtiana contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

NE prætextu pietatis orirentur in Eccleſia Catholica contentiones, aut fouerentur exorta, & ne cuiuslibet relinqueretur arbitrio publicas precandi formulas inſtituere, præſertim verò eas, quæ Summorum Pontificum Sanctionibus aduerſari videntur, emanauit aliàs, à Fel. Record. VRBANO PAPA VIII. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Vniuerſalis Inquiſitionis ſub die 19. Ianuarij 1646. Decretum tenoris infraſcripti, &c.

San-

Sanctiſs. D.N. Auditis votis, &c. quaſcũq; Congregationes, Sodalitates, ſeu Confraternitates ſub nomine Stellarij Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, quomodolibet, & quauis auctoritate erectas, & fundatas in quibuſuis Eccleſijs omnino ſuppreſſit, & in poſterum erigi poſſe abſque Sanctitatis Suæ, & Sedis Apoſtolicæ licentia prohibuit. Indulgentias quaſcunque eiſdem Congregationibus, Sodalitatibus, & Confraternitatibus conceſſas omnino reuocauit, caſſauit, & annullauit.

Inſuper iuſſit, eiſdem Congregationibus Sodalitatibus, & Confraternitatibus intimari, ne audeant recitare, vel recitari facere, aut conſentire quod recitetur in præfatis Eccleſijs, vel alibi in loco publico Corona ſub titulo Stellarij Immaculatæ Conceptionis, ſub pęnis arbitrio Sanctitatis Suæ, & Sacræ Congregationis.

Locorum verò Inquiſitoribus fuit iniunctum, vt ſedulò curarent, huiuſmodi Decretum executioni mandari, facta etiam ſub die 2. Februarij, & 15. Martij 1640. eiuſdem Decreti intimatione Priori, Guardianis, & confratribus Archiconfraternitatis Conceptionis Immaculatæ Virginis in Eccleſia Sanctorum Laurentij, & Damaſi Almæ Vrbis erectæ.

Et ne prætextu ignorantiæ aliquid à Regularibus, præſertim Sancti Franciſci, contra prædictum Decretum attentari contingeret Miniſtro Generali Fratrum Minorum Conuentualium, & Commiſſario Generali Fratrum Minorum Obſeruantium die 12. Septembris 1640. præfatum Decretum iuridicè fuit intimatum, vna cum præcepto ſub pœna priuationis Generalatus, & Commiſſariatus reſpectiuæ, ac vocis actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, alijſque arbitrio Sacræ Congregationis infligendis, vt debeant, & quilibet ipſorum debeat per litteras, ſeù aliàs monuiſſe omnes, & ſingulos Prouinciales, Guardianos, alioſque ſuperiores Conuentuum eis ſubiectorum, ne

Digitized by Google

ſub eadem pœna priuationis officij , ac vocis actiuæ , ac Paſſiuæ , aliſque arbitrio imponendis recitent , ſeu ab alijs recitari in quibuſuis Eccleſijs , Oratorijs , aliſque locis publicis Corona ſub titulo Stellarij Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ permittant;imò quaſcunque Congregationes, Sodalitates , ſeu Confraternitates ſub dicto titulo Stellarij , non erigi , & erectas ſupprimi curent , & mandent . Deq; huiuſmodi commonitione, ſeu notificatione publico documento infra duos menſes in Italia , extra verò Italiam infra quatuor menſes , debeat certiorem facere Sacram Congregationem Sanctæ Romanæ , & Vniuerſalis Inquiſitionis .

Sed cum ad huc nonnulli Apoſtolicis mandatis obtemperare neglexerint , Stellarij prædicti Coronam nedum publicè in Eccleſijs recitantes, ac recitari curantes , eo fortaſſe ſubterfugio confiſi , quod dummodo ſub Stellarij titulo Confraternitates non erigantur, ſtatutas in reliquis Decreti pęnas eſſent euaſuri ; Verùm etiam ad vlteriores inobedientiæ gradus procedentes Apocalypticam D. Ioannis viſionem Mulieris duodecim Stellarum Corona redimitæ pia Sanctorum Patrum , & Doctorum meditatione, ac interpretatione Beatiſſimæ Deiparæ adaptatam , ita mediante hoc recitandi Stellarij adinuento mentibus fidelium inſerere curauerint , ac ſi eidem B. Euangeliſtæ Immaculata Virginis Conceptio mirabiliter tunc fuerit demoſtrata ; Confecta etiam ſuper hoc, & Typis euulgata collecta ; Quinimò diem feſtum ſolemnem Stellario de menſe Auguſti quotannis pro eorum arbitrio temerè aſſignauerint , ac denuò Indulgentias pro eadem aſſerta feſtiuitate , ſubreptitiè obtinuerint .

Quæ omnia , & ſingula cum nuper Sanctiſſimo Domino Noſtro innotuerint , auditis votis , &c. opportunè cenſuit indigere remedio,ne ſub deuotionis ſpecie fraudes vlterius progrediantur , & quæ primo aſpectu pietatem redolent ,

hoſtis

Digitized by Google

hoſtis humani generis arte per inobedientiam labefactentur.

Sanctitas Sua præfato Decreto inhærendo, illudq́; confirmando, hoc ſuo præſenti Decreto de nouo iuſſit, ac mandauit omnibus, & ſingulis, tum ſæcularibus, tum Regularibus perſonis, cuiuſuis gradus, ſtatus, ordinis, & inſtituti, &c. nè in poſterum audeant, vel quilibet illorum audeat publicè recitare, aut recitari mandare Coronam Stellarij prædicti in quibuſuis Eccleſijs, Oratorijs, aut alijs locis, in quibus vtriuſque, vel alterius ſexus Chriſti fideles in vnum conueniant, etiamſi abſque vlla Confraternitatis erectione id præſtare profiterentur. Sodalitates omnes, Confraternitates, & Congregationes ſub nomine Stellarij Immaculatæ Conceptionis iterum omninò ſuppreſſit. Indulgentias pariter titulo Stellarij, vel feſtiuitates eiuſdem, quomodolibet obtentas reuocauit, & annullauit. Regularibus verò cuiuſuis Ordinis præſertim Ordinis Sancti Franciſci, tàm Minorum Conuentualium, quam Minorum Obſeruantium diſtrictè præcepit ſub prædictis pœnis, nec non ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto incurrenda, nè in eorum Eccleſijs, Oratorijs, aut alijs locis publicis huiuſmodi Stellarij Coronam, vel preces ſub nomine Stellarij recitent, aut ab alijs recitari curent, ſiue permittant, minuſq́; diem feſtum Stellarii celebrent, ſeu quilibet eorum tam ſuperior, quam ſubditus quouis prætextu aliquid ex præmiſſis faciat, curet, mandet, vel reſpectiuè permittat. Contrariis quibuſcumque non obſtantibus, &c.

Et ne præmiſſorum ignorantia poſſet aliquis excuſari, voluit Decretum hoc, ſeu illius exemplum ad Valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in Acie Campi floræ affixum ita omnes arctare, & afficere, ac ſi vnicuiq́; perſonaliter fuiſſet intimatū.

Io.Anton.Tomaſius S.Rom.& Vniu.Inquiſ.Notar.

Anno

Anno à Natiuit. D. N. Ieſu Chriſti 1645. Indictione 13. die verò 14. Decembris, Pontif. Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri D. INNOCENTII, Diuinæ Prouidentia Papæ X. Anno eius ſecundo, ſupradicta litteræ Apoſtolicæ, ſiue Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, atq; in Acie Campi Floræ, vt moris eſt, per me Hieronymum Maſcellam, eiuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ, & S. Romanæ Inquiſitionis Curſorem.

Romæ, ex Typographia R. Cameræ Apoſt. 1645.

Dicta porrò Decreta non proceſſiſſe à pijſſimis, & ſapientiſſimis iſtis Pontificibus, ſed ſubreptitia eſſe eadem, vel leuiter conſiderata demonſtrant, ideò deſtruenda, & reſtituenda Stellarij Confraternitas; præſertim quia hoc adhuc non inefficaces rationes perſuadent, quæ ſequentibus octo conſiderationibus continentur, quibus totidem alias adijcientur rationes pro eiuſdem deuotionis reſtitutione.

Conſiderationes octo ſuper allata duo Decreta, in quibus prohibetur publica Sanctiſſimi Stellarij recitatio, eiuſdem tolluntur Confraternitates, & Indulgentiæ eiſdem à Summis Pontificibus conceſsæ.

CONSIDERATIO I.

Ad initium Decreti Sanctitatis Tuæ Pater Beatiſſime, in quo confirmatur præcedens Vrbani VIII. Tres inſinuantur rationes prohibitionis Stellarij Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Prima, *Ne prætextu pietatis orirentur in Eccleſia Catholica contentiones.*

Se-

Secunda, *Ne fouerentur exortæ*.

Tertia, *Ne cuilibet relinqueretur arbitrio publicas precandi formulas inſtituere, præſertim verò eas, quæ Summorum Pontificum ſanctionibus aduerſari videntur*. Hæ ſunt rationes, quibus permoti Summi Pontifices prædicti ſuſpenderunt publicam Stellarij recitationem, & eiuſdem Confraternitates, cum Indulgentijs abſtulerunt, cum prohibitione illas denuò inſtituendi abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali.

Sed minimè ſubſiſtere poſſunt rationes iſtæ. Non prima, quia non habet locum in caſu noſtro; nam non ex prætextu pietatis, ſed ex vera pietate pij huius Sodalitatis cultores recitant Stellarium, opus in ſe bonum, & pium, à pijs, & ſapientibus viris probatum, & frequentatum. Irrationabiles verò contentiones, & ſcandala paſſiua, & Phariſeorum, non ex eo, ſed ex praua æmulorum diſpoſitione oriuntur, de quibus non eſt curandum, dicente Domino: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum*. Et idem Dominus noluit prohiberi Magdalenam à ſui corporis vnctione, & ſi contra eam Diſcipuli indignati fuerint; quia opus bonum in eum operata fuit. Et profectò ſi propter huiuſcemodi contentiones, & ſcandala, quæ ex bonis operibus orriri poſſunt, ab hiſce abſtinendum eſſet, quam plura vtilia omittenda eſſent, quod cederet in præiudicium honoris Dei, & ſalutis proximi. Mat.15.14 Mat.26.8

Secunda ratio minus concludit, & ſimiliter reijcitur. Si exortæ ſunt contentiones ex Stellarij recitatione apud Stellarij Confratres, has ſanè non alij, quam illorum æmuli excitauerunt, & fouerunt, has igitur iſti deponant, & illorum bona opera æmulentur, nec impedire laborent; ſicut nec Stellarij Confratres aliorum pijs operibus ſe opponunt, ſed laudant, ipſi frequentant, & prædicant, contentiones ceſſabunt, & amoris in-

ris inter omnes conciliabitur.

Tertia ratio non ſubſiſtit; etenim Stellarium optimum eſt in ſcriptura habet fundamentum, *in Muliere habente in capite Coronam Stellarum duodecim*. Et ad illius exemplum, & ad memoranda priuilegia à Patre, Filio, & Spiritu ſancto Deiparæ conceſſa (de quibus S. Bernardus, & alij) adumbrata in duodecim illis Stellis, & hoc vel ex ſpeciali diuina reuelatione, vel à ſodalitate ipſa Stellarij ita ordinante, & vniuerſali Eccleſia conſentiente, ſuffragante in primis Religione Franciſcana, quæ non modicæ eſt auctoritatis, propter graues, doctos, ac pios viros, quibus abundat.

Apoc. 12. 1.

Ser. 2. de Aſſumpt. de ver. Apoc.

Quare hinc non licet cuilibet publicas precandi formulas inſtituire, quia in quolibet huiuſcemodi inſtitutionis rationes non concurrunt. Et ſi propter ſimiles rationes licuit Patribus Predicatoribus Confraternitatem Sanctiſſimi Roſarij inſtituere, & illud publicè recitare, & alijs alias pias præces conſcribere, & euulgare, quare non licebit Stellarj pijs cultoribus illud publicè recitare, & pro eiuſdem augmento, legitima auctoritate accedente Sodalitates inſtituere?

Præclarè Sanctus Auguſtinus in rem præſentem dixit: *Vna in his ſaluberrima regula retinenda eſt, vt quę non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores: & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur.*

Epiſt. 119. cap. 18.

CONSIDERATIO II.

Secundò in iſta etiam tertia ratione duo falſa innuuntur: alterum Stellarium eſse inſtitutum contra Apoſtolicas ſanctiones; hoc enim falſum, quia ex indulto, & liberalitate Pontificum inſtitutum, qui etiam confirmarunt, dum illud recitantibus multas, & magnas

In-

Digitized by Google

Indulgentias conceſſerunt. Alexander VI. cuicumq; recitanti hanc Coronam conceſſit Indulgentiam plenariam, & in die Veneris cuiuſcumque hebdomadæ duplicatam, ſed in die Veneris Sancti illam recitantibus toties, quoties conceſſit liberationem animarum Purgatorij, vt refert Ernandes [a] de Naue Ordinis Prædicatorum; Leo X. eamdem Coronam recitantibus conceſsit Indulgentiam duodecim mille dierum, quam confirmauit, & iterum conceſſit Clemens VII. apud Alphonſum Caſarubios, [b] & Vrbanus VIII. multiplices, & perpetuas conceſſit Indulgentias Stellarij Confraternitatibus, vt Neapolitanæ [c] in Eccleſia Sancti Georgij Maioris, Ariminenſi [d] in Eccleſia Sancti Bernardini, Mantuanæ [e] in Cathedrali Eccleſia Panormitanæ [f] in Eccleſia Sancti Franciſci, & alijs, vt patet in Pontificijs Bullis apud dictas Confraternitates aſſeruatis. Et hic Pontifex conceſsit etiam dies ſexaginta de Indulgentia omnibus Stellarium toties, & quoties recitantibus. Amplius viuæ vocis oraculo, Anno 1625. 4. Iulij ad ſupplicationem Oratoris Regis Chriſtianiſsimi apud eumdem Pontificem, conceſsit Indulgentias Sancti Caroli, & quinque Sanctorum Coronis, imaginibus, in illorum cannonizatione à ſuis prædeceſſoribus conceſsis pro multis millibus Stellarijs Patri Fratri Thomæ à Nouario ex Ordine Minorum de Sancta Eccleſia benemerito, & ad inſtantiam Eminentiſsimi Cardinalis Barberini eiuſdem Ordinis Protectoris Anno 1639. 15. Iunij conceſsit Indulgentiam Stellarijs, &c. aliquibus Fratribus de Obſeruantia, qui Romæ ad Capitulum Generale conuenerant, & alijs abſentibus, & Monialibus illius curæ ſubiectis.

Ac demum idem Summus Pontifex multo tempore

[a] In Conſolatorio. &c. In Hiſpanijs primo, poſtea Neapoli, Ann. 1580. impreſſo de licentia ſuperiorũ, qui etiam Stellariũ CORONA CORONARVM appellat.

[b] In Cõpẽdio Priuilegiorũ verbo Indulgentię quoad Seculares 8.

[c] In Bulla dat. 1634.

[d] Dat. 1639.

[e] Dat. 1642.

[f] Dat. 1643.

ſingulis annis conceſſit Indulgentiam Plenariam Archiconfraternitati Conceptionis Eccleſiæ Sanẽti Laurentij in Damaſo, in Vrbe, & eamdem etiam conceſſit Sanctitas Tua, & alijs etiam Eccleſijs pro eadem feſtiuitate, vt ſatis conſpicuum eſt; Et ſi poſtea Vrbanus, & Sanctitas Tua ob ſubreptitiam æmulorum perſuaſionem, abſtulerint eaſdem Indulgentias, & Stellarij Confraternitates. Et ex quo abſtulerunt, ſignum eſt antea fuiſſe, & Summos Pontifices prius erectas Stellarij Confraternitates approbaſſe.

Et quodnam quæſo incommodum ex inſtitutione Confraternitatis Stellarij, cum Roſarij, & aliæ ſimiles Confraternitates cum laude, & fructu iã inſtitutæ fuerint, & in dies ſimiles inſtituantur? Quare cum hæc nullum malum, vel ſpeciem mali contineat, & nihilominus ſub grauibus pœnis ſublata, & prohibita fuerit, aſſeuerandum hoc ex falſa æmulorum perſuaſione proueniſſe; Quod verò dicta prohibitio facta ſit præcipuè Franciſcanis, innuitur ipſos tanti facinoris promotores, & fautores fuiſſe.

Alterum falſum quod in eadem tertia ratione inſinuatur (quod poſtea Inquiſitor Sanctæ Inquiſitionis Mantuę ex proprio capite expreſsè dixit (vt inferius apparebit) eſt, deuotionem Stellarij eſſe nouam, & non approbatam, ac ideò ne progreſſus faciat, & alij ad ſimiles nouas, & liberas deuotiones introducendas promoueantur, Pontificio Decreto abolendam æmuli procurarunt.

Huius aſſerti falſitas ex eo conuincitur, quod Stellarij mentio fit, tum apud alios veteres ſcriptores, tum apud Pelbartum, & Bernardinum de Buſtis, qui in Franciſcana Religione floruerunt Anno ſalutis 1483. & antea debuit hæc deuotio in Dei Eccleſia floruiſſe; maximè ſi verùm eſt quod ſcribit P. Joannes Baptiſta

Le-

Lezana, deuotionem hanc frequentari ſolitam à Petro Ambianenſi, vulgo Eremita, qui floruit tempore Vrbani II. circa Annum Domini 1088. & ab alijs antiquis Montis Carmeliaccolis, ac deinceps comendatam, & frequentatam; & quod ab eo tempore vſque ad annum 1640. continuauit, non nouum ſed antiquum dicendum eſt: quoniam vt Crauett. ait: *In modicis antiquum dicitur de annis* 40. *in arduis de centum annis. An vero res ſit modica, vel magna, ſtandum eſt arbitrio Iudicis.* Igitur ſit hæc Stellarij deuotio res modica, vel magna, ſecundum legem nedum antiqua, ſed antiquiſſima dicenda erit; cum excedat nedum centum, & ducentum annos, ſed multò plures, ſi in vſu erat tempore Petri Eremitæ, nimirum 552. quia tot excurerunt anni à 1088. vſq; ad 1640. quando æmuli Stellarij dixerunt, Stellarij deuotionem eſſe nouam, ac ideò ſuſpendendam. Et Anno 1506. myſterium duodecim Stellarum à Deipara reuelatum fuit venerabili ſeruæ Dei Sorori Dominicæ de Paradiſo fundatrici Monialium Sanctæ Crucis Florentiæ Ordinis Prædicatorum, cuius canonizatio in Sancta Rotta tractatur. Quomodo ergo Pater Beatiſſimæ hoſtes Marianæ huius deuotionis tam audacter aſſerere præſumunt, & Sanctitati Tuæ perſuadere eam eſſe nouam, ac ideò ſuſpendendam?

In operæ inſcripto Maria Patrona cap. 11. n. 17.

Crauett. de antiqu. temp p p. t. 1. nu. 5. apud Cardin. Tuſc. to. 5. concluſ. 344. num. 25.

CONSIDERATIO III.

Tertiò additur in Decreto Vrbani VIII. *Verum etiam ad vlteriores inobedientiæ gradus procedentes Apocalypticam B. Ioannis viſionem Mulieris duodecim Stellarum Corona redimitæ pia ſanctorum Patrum, & Doctorum meditatione, ac interpretatione Beatiſſima Deipara adaptata, ita mediante hoc recitandi Stellarij adinuento,*

men-

Digitized by Google

mentibus fidelium inſerere curauerunt, ac ſi eidem Beato Euangeliſta, Immaculata Virginis Conceptio mirabiliter tunc fuerit demonſtrata, &c.

Sed quæſo vbi progreſſus in gradibus inobedientiæ, vbi nulla fuit inobedientia? Inobedientia non eſt, viſionem illam Apoc. interpretari de Virgine Deipara, quia ſuper hoc nullum contrarium præceptum reperitur, immò ſimiliter alij cum laude interpretati fuerunt, ex ſtatim ſubijciendis.

Quin potius exacta nimis in hoc enituit obedientia: Graue mandatum contra veram rationem, pietatem, & exiſtimationem Confraternitatis, & Franciſcanæ Religionis, & tamen ſine vlla reſiſtentia cùm ab ipſa Stellarij Confraternitate, tùm à Seraphici Ordinis ſuperioribus, & ſubditis executioni mandatum; & ita oportuit etiam fieri, ne grauiſſimis comminatis pœnis traſgreſſores ſubijcerentur, quas non condonaſſent Iudices Tribunalis Sanctæ Inquiſitionis.

Si Sodalitas Stellarij, vel Franciſcana Religio tot doctis, ac pijs viris abundans, ex ſe pro fundamento ſuæ deuotionis Stellarij adhibuiſſet illam Apocalypſis viſionem, non eſſet culpanda; ſed non proprio ſenſui adheſit, ſed grauiſſimo multorum Sanctorum Patrum, & Doctorum teſtimonio, qui per illam Mulierem Beatiſſimam Virginem intelligunt. Andreas Ceſar, Pannon. Haymo, Anſbertus Gagneus, Method. vt Auctor eſt Aretas, [a] Immo & D. Epiphanius [b] D. Auguſt. [c] D. Bernard. [d] Dionyſius Carthuſ. [e] & plures alij.

[a] In Comment. c. 12 Apocal.
[b] Ser. de lau. Mar.
[c] lib. 4. de Symb. ad Cathech.
[d] 1. Ser. ſuper ſignũ magnum.
[e] Lib. 3. de laud. V. a. 29. &c.
[f] In Biblia Mariæ.

Ex quibus vnum adduco Beatum Albertum Magnum [f] ita de Virgine Deipara in rem præſentem præclare fatum. *Ipſa eſt Regina duodecim prærogatiuis coronata, Apocalyp. 12. Signum magnum apparuit in Cælo, ideſt in Eccleſia, Mulier amicta Sole, ideſt, Maria Chriſto,*

Digitized by Google

ſto, quia induit Chriſtum, qui eam illuminat; & Luna ſub pedibus eius, ideſt, omnia terrena, & in capite eius Corona Stellarum duodecim, ideſt, duodecim prærogatiuarum, ſeu priuilegiorum, quibus coronatur. Tantum ille.

Quod ſi dicas, Doctores iſtos non ad litteram, ſed myſticè fuiſſe locutos; ſenſum verò myſticum non ſufficientem fidem facere.

Reſpondetur, non ſemper ita eſſe, quia iuxta regulam Sancti Auguſtini, & ſi ſenſus myſticus ſcripturæ abſolutè non faciat fidem, facit tamen; *Si habeat etiam manifeſta teſtimonia, quorum lumine illuſtrātur obſcura.* Sed in caſu noſtro, habemus manifeſta teſtimonia, tùm ex Scriptura diuina, tùm ex quam plurimis ſanctiſſimis, & doctiſſimis Patribus, & Doctoribus, quibus probatur, quæ in ea viſione Mulieris duodecim Stellis coronatæ, de B. Virgine intelligenda eſſe, vt videre eſt apud Sacros Apoc. & illius viſionis interpretes. Suffragatur Eccleſia, quæ pro Deipara Virgine aprobat picturas, & ſculpturas illas Mulieris duodecim Stellis Coronatæ, & pro eadem totus populus Chriſtianus intelligit, & veneratur; Et hæc omnia ſanè indubitatam fidem faciunt, Cultores Sanctiſſimi Stellarij, viſionem illam de Virgine Deipara meritò intellexiſſe, & pro fundamento ſuæ deuotionis accepiſſe.

Epiſt. ad Vincent. Donat. & eſt in ordin. 48.

Leg. Virg. in Apo. 12 in Cōmē. except. de B. Virg.

CONSIDERATIO IV.

Quartò, quod etiam Stellarij feſtum pij illius cultores aſſignauerint Dominica vltima Auguſti, *temere factum* dicitur in Decreto.

Reſpondemus hoc nullo modo admittendum, ſed magna cum ratione ordinatum. Et prætermiſſo, quod

non

non contemnendi ſcriptores dixerunt, ea die factam fuiſſe illam reuelationem Ioanni. Dicimus primò die
Apoc. 10.10 Dominica celebrari, quia Dominica die Apocalypſis Ioanni reuelata fuit, vt ipſemet inſinuat. Secundo, quia cum iuſtum eſset, vt deuotionis Stellarii feſtiuus aliquis dies aſsignaretur, ille memoratus aſsignatus fuit, forte quia alio feſto non impeditus, nec eſt neceſse, vt myſterium illud tunc acciderit, vel aliud ad idem pertinens; quoniam, & Eccleſia aliquorum Sanctorum diebus determinatis celebrat feſtiuitatem, non quia in illis vel obierint Sancti, vel aliquid memorabile circa illos acciderit, vt licet aduertere in Romano Martyrologio, & ibi in notis Cardin. Baronii, vbi certis diebus aliquorum Sanctorum Feſta celebrantur, quorum genuina ratio ignoratur, pro qua tamen ſufficientiſsima cenſetur Sanctæ Eccleſiæ auctoritas. Et quomodo quæſo Feſtum hoc poteſt dici *temere* introductum, cum probatiſsimi, ac numeroſiſsimi viri veteres, & recentiores illud coluerint, numquam in Eccleſia damnatum, ſed per Summos Pontifices, conceſsis, variis, maximiſque Indulgentiis honoratum, & approbatum?

Dicatur denique, ea auctoritate qua Patres Prædicatores ante tempora Pii V. celebrabant ſolemnem diem
Romæ impreſſo An. 1573. feſtum Sanctiſsimi Roſarii in Feſto Sanctiſsimæ Annunciationis Beatæ Virginis Mariæ, illorum ordinatione, & auctoritate, vt videre eſt in Roſario Patris Fratris Andreæ Gianetti Salodienſis Theologi, & Prouincialis Terrę Sanctę Ordinis Pręricatorum cap. 4. Et alię Confraternitates, vt Sancti Auguſtini Beatę Virginis de Monte Carmelo, & aliorum in aliquibus particularibus diebus, quia illę, vel tunc inſtitutę, vel à Summis Pontificibus variis Indulgentiis condecoratę fuerunt. Ita Confraternitas Stellarii vnà

cum

cum Seraphica Religione, propter rationabiles cauſas ſolemnem diem feſtum celebrari voluerunt Dominica vltima Auguſti.

CONSIDERATIO V.

Quintò, aſſeritur Indulgentiam illam pro feſtiuitate Stellarij *Subreptitiè obtentam*.

Et ſi hæc Indulgentia pro præcipua Eccleſia Sancti Laurentij in Damaſo in Vrbe per ipſos Inquiſitores hæreticæ prauitatis pro typis approbata, & publicè ad fores Eccleſiarum affixa, ſubreptitia cenſetur, quod iudicium faciendum erit de illis Indulgentijs, quæ in alijs Eccleſijs, ciuitatibus, & pagis, cum dicta Eccleſia, & Vrbe minimè comparandis, in quibus non tot adhibentur diligentiæ pro illarum validitate cognoſcenda, vt Romæ fit? Certè Indulgentia nulla ſubreptionis vitio vacabit.

Deinde quid dicent aduerſarij de aliis vetuſtioribus Indulgentijs à prædeceſſoribus Pontificibus in gratiam Stellarij conceſſis, in pluribus auctenticis libris, & folijs ſuperiorum auctoritate approbatis, editis, & euulgatis?

Ac demum, quæ ratio ſubreptionis? ſanè tot inueniuntur Indulgentiæ alijs Confraternitatibus, & deuotionibus conceſsæ, iſta non maioribus, & in dies de facili conceduntur, & inconueniens iudicabitur aliquos Summos Pontifices in gratiam Stellarij Indulgentias validè conceſſiſſe, quaſi aliquod vanum, vel ſuperſtitioſum contineat? Videntur ſentire æmuli Pontificem non communem Paſtorem, ſed ſuum ſolum eſſe, nec quæ totius ſunt Eccleſiæ curare, & quæ ad alios ſpectant negligere.

CONSIDERATIO VI.

Sextò dicitur amplius in ſecundo Decreto, *quod Pontifex auditis votis, &c. opportuno cenſuit indigere remedio, ne ſub deuotionis ſpecie, fraudes vlterius progrediantur, & quæ primo aſpectu pietatem redolent, hoſtis humani generis arte, per inobedientiam labefactentur.*

Proh pudor, PATER BEATISSIME, quot in vnica orationis periodo iniuſta, probra, falſa, & iniurioſa continentur. In primis in vltimo Decreto dicitur; *Auditis votis, &c.* & quorum vota audiuit Pontifex, ſi tamen audiuit? non exprimitur in Decreto. Non vtique Eminentiſsimorum Patrum S.Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, vel Sancti Officij Conſultorum, quia iſti, vt iuſti, & pij inauditis, & indiſcuſſis vtriuſque partis rationibus, æmulorum nempe, & Confraternitatis Stellarij, & Minorum, contra iſtos vota ſua minimè dediſſent; quia contra ius diuinum, & Eccleſiaſticum. Nec dicendum intelligenda verba de votis Confraternitatis Stellarij, & Minorum, nam iſti nec ad dicendum fuerunt quæſiti; nam ſi quęſiti, efficacibus eorum rationibus auditis, & expenſis, non contra eos, ſed in gratiam ipſorum, & Stellarij ſententiam tuliſſent. *Auditis ergo votis*; aduerſariorum, querimonijs nempe, inſtantijs importunis, falſis, & ſubreptitijs illorum rationibus, parte inaudita, contra eamdem, ſententia pronuntiata fuit.

Et quæ maior iniuſtitia, nullo modo in Pontifice, & ſuo Purpuratorm Senatu excogitanda, qui omnia cum recto iudicio, & iuſtitia faciunt? Ex quò clarè deducitur Pontifice, & Sanctæ Generalis Inquiſitionis Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus inſcijs; Decreta illa emanaſſe, & euulgata fuiſſe.

Secundo appellant æmuli Stellarium: *Deuotionis ſpeciem,*

tiem, quaſi non veram, & ſolidam deuotionem, ſed apparentem tantum, & deuotionis laruam, quod poſtea etiam repetunt alijs verbis, quod deuotio Stellarij *primo aſpectu pietatem redolet*, quaſi dicant, leuiter, & apparenter conſiderata, pietatem præſeferre videtur, ſed ſi ſerio, & radicitus conſideretur illa prorſus caret.

Sed ſi Stellarij deuotio vera, & ſolida non eſt, quales erunt Sanctiſſimi Roſarij, S.M.V. de Monte Carmelo, & aliæ, quæ in Sancta Dei Eccleſia frequentantur?

Sanè non aliud quam *deuotionis ſpecies aſpectu tantum pietatem redolentes*: Etenim omnes in ſubſtantia eaſdem preces continent. *Pater noſter, Aue Maria, Gloria Patri*, quæ ſunt iuris Diuini, & Eccleſiaſtici, & in ſingulis harum numerus determinatus eſt, qui damnari non poteſt, quia in Eccleſia frequentiſſimus Oratio, & verſus, qui in publica Stellarij recitatione decantantur, damnari non poſſunt, nam continent laudes B. V. Mariæ, ex ſcriptura, & Sanctis Patribus acceptas, cauſam illius præſeruationis à peccato, præuiſam nempe mortem Filij eius, & ad eamdem Virginem refugium, quæ ab antiquo tempore in tota Franciſcana Religione in vſu ſunt, numquam damnatæ, ſed per ſedem Apoſtolicam, & continuatum vſum approbatæ: Quare in hiſce precibus nihil eſt, quod ſcrupulum, vel mali ſuſpicionem parere poſſit.

Nec debet obeſſe publicitas, & plurium congreſſus, qui magis eam extollit, & maiorem in populis conciliat deuotionem. Quæ ſi propter hoc ſuſpenditur, ſuſpendenda eſſet, & altera Roſarij deuotio, immo quidquid publicè exercetur in Eccleſia, ad externum Dei cultum pertinens, pœnitus auferendum eſſet, vel

Digitized by Google

ſanè quod ſupererogationis eſt.

Si dicatur ex huius deuotionis cultu, aliæ prolixiores, & maiores impediũtur deuotiones? Dico hoc nõ obſtare, tùm quia iſta, vt aliæ deuotiones liberæ, & volũtariæ ſunt; de his enim tantum loquimur, & cuique liberum eſt, hanc, vel illam colere, tùm quia feruentiores huic, & alijs facilè attendere poſſunt. Nec quod ſint deuotiones aliæ prolixiores, vel maiores, iſta prætermittenda eſt, ſi enim ſolæ maiores frequentandæ eſſent, in magnum diuini honoris, & animarum ſalutis præiudicium cederet, vt cuique conſinderanti patere poteſt, & Sancta Eccleſia omnes approbat, & Chriſtianus populus fructuosè frequentat.

Tertio indicatur in dicta Stellarii recitatione fraudes hactenus commiſſas fuiſſe, & in poſterum comittendas, niſi per illius ſuſpenſionem occurratur, & præcipuè à Franciſcanis.

Sed quænam quæſo fraudes hactenus commiſſæ fuerunt, & quæ committendæ timentur ab huius Sanctiſſimi exercitii cultoribus, & in primis à Franciſcanis? Finis optimus, Dei glorificatio, & liberalitatis gratiarum in Virginem Mariam munificentia, & eiuſdem priuilegiorum commemoratio, & propria illud recitantium, ſpiritualis ſalus. Temporale commodum non quæritur, quia ab eo abſunt queſtuationes, & radix omnium malorum cupiditas. Vtinam Pater Beatiſsime temporale lucrum longè abeſſet ab huiuſcemodi deuotionibus, & illorũ ſtudioſi non quę ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti quærerent, quia tales æmulationes, & contentiones non eſſent, in Dei Eccleſia, & deuotio Sanctiſsimi Stellarii non minus, ac aliæ illibata, & in ſuo eſſe perſeueraſſet. Exprimi etiam debuerunt æmuli, & aduerſarii huius deuotionis illius fraudes, ne calumniatorũ notã incurrerent.

1. Thim. 6. 10.

Quartò

Quartò denique, in eadem periodo aſſeritur, ſancto huic exercitio *opportuno remedio occurrendum*, ne pii illius cultores, *hoſtis humani generis arte per inobedientiam labefactentur*. Ideòque aduerſarii à Sanctitate Tua Decretum aliud prioris Vrbani VIII. confirmatiuum, quaſi huic obtemperatum non fuerit, procurauerunt.

Mira res, quod iſti tam liberè, tam facilè Stellarii Confratres, & Franciſcanos S. R. E. obſequentiſsimos filios graui inobedientiæ vitio inculpatè inſimulent, vt grauiori, & ſeueriori adhuc Decreto compellendi fuerint. Maiores ſanè ſuperiores mandatum, ſiue Decretum prius Vrbani intimauerunt ſuis ſubditis, & ipſi continuò obtemperauerunt; vt experientia demonſtrauit, & amplius quam debuerint: cum enim in illo tantum prohibeatur publica recitatio, ad quàm conueniunt ſæculares viri, & mulieres, ipſi ſe abſtinuerunt ab ipſamet priuata inter ipſos Fratres recitatione. Vnde vt hanc priuatam reaſſumerent, oportuit nouiter illos admonere.

Ad id facit quod cum Miniſter Prouinciæ Bonon. Ordinis Minorum Obſeruantium; vir pius, & doctus accepiſſet mandatum ſuſpenſionis Stellarii ab eiuſdem Ordinis Commiſſario Generali, & ille ad eum ſcripſiſſet pro Breuis Vrbani VIII. procuranda ſuſpenſione, quoniam inualidum ſubreptitium, & in dedecus Religionis eſſe euidenter oſtendebat.

Reſpondit iſte, tunc tempus eſſe obediendi, et non diſputandi, et ille mandatis, et ſi iniuſtis, promptiſsimè obtemperauit, vt obtemperarunt alii: Hæc ſanè non ſunt inobedientiæ actus, ſed cæcæ nimis obedientiæ euidentiſsima argumenta.

Quamuis verò, vel in Regno Siciliæ, vel Venetiis, et in nonnullis aliis locis non fuerit prius Vrbani Decre-

tum

tum per aliquod tempus obſeruatum, fuit ex iuſta cauſa, & inculpatè; tùm quia verè creditum fuit ſurreptitium, & inualidum, tùm quia ſocorum Primates noluerunt Deum, & Deiparam eo honore, & ſe ipſos ſubſidio, & adiutorio ex ſancto illo exercitio proueniente,priuare, qui tamen omnes, vt obedientes filii ſecundo Decreto, & ſi duro, & ſurreptitio promptiſsimè obtemperauerunt.

Quin non pauci non ex plebe, ſed ex præcipuis ſcandalizati ſunt, & detraxerunt ſuperioribus Confraternitatis Stellari, & Minorum Religioni,quod naturali iure neglecto,nimis promptè obtemperauerint, facti canes muti, non valentes latrare, cum tamen altè clamare debuiſsét,manifeſtè videntes Decreti ſubreptitii abſurditatem, diminutionem cultus Dei, & Deiparæ, & propriæ exiſtimationis contemptum; de inobedientia inſimulati quod multum dedecet in ſupræmis religionum Prælatis, nam ſecundum leges contumelia, & iniuria Principi irrogata atrox cenſetur, ac proinde extra ordinem punienda. Et tamen nec verbum locuti, cumque facilè laborare potuiſſent pro prioris Decreti ſuſpenſione, & neglexerint, amplius et ipſi neglecti fuerunt, et aduerſarii illis prudentiores, & ſolicitiores aliud Decretum fortius de facili obtinuerunt, et ſi abſque dubio obreptitie, et ſubreptitiè.

L. Paſtore. &c. §. Atrox, &c.

CONSIDERATIO VII.

Septimò, Conſiderentur quæſo pœnæ impoſitæ contra dictis Decretis non obtemperantibus. Confraternitatibus, et Sodalitatibus ſæcularium indictæ fuerunt pœnæ ad arbitrium Sanctitatis Suæ, et Sacræ Congregationis; contra verò ſuperiores Religioſorum

rum

rum Ordinis Fratrum Minorum eædem comminatæ fuerunt pœnæ, & expreſsè etiam aliæ grauiſſimæ. In primo etenim Decreto præcipitur Generali Patrum Conuentualium,& Comiſſario Generali Obſeruantiũ *ſub pœna priuationis Generalatus, & Commiſſariatus reſpectiuè, ac vocis actiuæ, ac paſſiuæ ipſo facto incurrenda, alijſque arbitrio Sacræ Congregationis infligendis,vt moneant,&c.* Et ſimilis pena indicitur Prouincialibus, & localibus Superioribus ſi non obſeruauerint, &c.

In Secundò Decreto eædem confirmantur pęnæ,& amplius additur *Pœna ſuspenſionis à diuinis ipſo facto incurrenda, ne in eorum Eccleſijs,&c.*

Conſideratione dignum, communiter non infligi pro vno delicto multiplices pœnas, ſpirituales, & temporales, & opinati fuerunt Doctores aliqui, vbi ponitur pœna temporalis, ſpiritualem locum non habere. Et ſanè vtraque non niſi pro grauiſſimo ſcelere infligitur. Et pro non impedientibus publicam Stellarij recitationem infliguntur ſimul pœnæ temporales, & ſpirituales, & multiplices, vt patet illas conſideranti, Et quæ quæſo pœnæ impoſitæ fuiſſent tùm alijs, tùm Superioribus, ſi furta,publica, adulteria, ſcortationes, ſacrilegia, & alia facinora perpetraſſent, quibus non Eccleſiaſticum, & humanum ius, ſed naturale, & diuinum violatum fuiſſet, vel alios à ſimilibus non impediuiſſent? Et quis igitur credet huiuſcemodi Decreta à pijſsimis Patribus, & æquiſsimis Iudicibus Romanis Pontificibus, & Eminentiſs. Cardinalibus procedere potuiſse?

Ex his verò duo manifeſtè colligimus: alterùm, omnimodam inualiditatem Decretorum ſubreptitiorum. Alterum cauſam Sanctiſsimi Stellarij minimè trahi debuiſſe ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis, vt reprobaretur, ſed vt approbaretur, & vtrumque patet tùm

ratione Decretorum, ſiue prohibitionis Sanctiſsimi Stellarij in ſe, tum ratione pœnæ in ea contrauenientibus appoſitæ.

Ratione quidem prohibitionis in ſe, id comprobatur. Etenim quidquid à Sãcto Officio damnatur, ex quintuplici capite præcipuè prouenire dignoſcitur, ex materia, ex forma, ex Auctore, ex titulo, ac loco. Ita deducitur ex Præfatione ad Indicem librorum prohibitorum in fine Concilij Tridentini, & ex obſeruata conſuetudine ſancti huius Thibunalis. Non poteſt damnari Stellarij deuotio, ratione materiæ, illius enim materia optima eſt, quia orationes diuino, & Eccleſiaſtico iure introductæ: *Pater noſter*, *Aue Maria*, *Gloria Patri, &c.* Quæ non niſi ab infidelibus damnari poſſunt.

Forma non ſemper eadem obſeruata fuit, ſed accidentaliter mutata; aliquando enim dictis duodecim *Aue Maria*, addebatur vnum *Pater noſter*, vel etiam præmittebatur. Poſtea dicto vno Pater noſter, ſubijciebantur quatuor Aue Maria, deinde idem ſecundò, & tertiò ſimiliter obſeruabatur, ita vt dicerentur duodecim *Aue Maria*, tribus interpoſitis *Pater noſter*, Et ſimilem accidentalem mutationem in melius, aliàs cùm laude obſeruari, nec infrequenter in Sancta Eccleſia, ſcimus. Quare hic tandem modus, vt melior, fuit poſtea pia conſuetudine comprobatus.

Dicuntur duodecim *Aue Maria*, in memoriam duodecim Priuilegiorum, quibus condecorata fuit Deipara Virgo, ſed primò dicitur *Pater noſter*, ad indicandum Deiparam omnẽ gratiam ab æterno Patre accepiſſe, à quò omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit. Et dicitur ter ad reuerentiam Sanctiſsimæ Trinitatis, & gratiarum actionis, & magis exprimitur in verſu, *Gloria Patri, &c.* Et meritò quidem,

Iacob 1. 17.

quidem, quia licet omnia priuilegia Deiparę conceſſa æque prouenerint à tribus diuinis perſonis, nihilominus quia per quamdam appropriationem, quædam Patri, alia Filio, & alia tandem Spiritui Sancto tribuuntur, ideò diſtinctè ad honorem trium perſonarum ter recitantur *Pater noſter*. Et hæc damnari nullo modo poſſunt, ſed maximè laudanda, accedente præſertim optimo fine, maior Dei Gloria, & commendatio excellentiæ ſuperbenedictæ ſemper Virginis Mariæ.

Auctor damnari non poteſt, quia & ſi fortaſſe non omninò certus, certè tamen Catholicus, & ſanctus fuit; quia vel Sanctus Bernardus, qui tam piè, ac diſtinctè fuit de hac deuotione locutus, vel Petrus Eremita, aliuſue antiquior Sanctiſſimæ Virginis Dei Matris cultor, & fortaſſe ipſe S. Ioannes Euangeliſta illuminatiſſimus, & dilectiſſimus Chriſti Diſcipulus, & amantiſſimus Deiparæ adoptiuus filius, cui facta fuit reuelatio ad mirabilis illius Mulieris duodecim Stellis Coronatæ, huius ſancti exercitij fundamentum.

Titulus deuotionis huius, & Coronæ omninò conueniens, *Sanctiſſimum Stellarium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ. Stellarium appellatur*, quia fundata in Corona Stellarum, qua cinctum fuit Deiparæ caput, vt Ioanni apparuit, *Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ* congruentiſſimè, nam hic eſt titulus, quo Deipara Maria pro ſua conceptione condecoratur in Sancta Eccleſia Catholica, ex Summorum Pontificum, & in primis Gregorij XV. Conſtitutionibus, & eo vbique ab omnibus fidelibus celebratur, & ſub alio celebrari, interdictum.

Epitheton *Immaculatæ* appoſitum, ad magis exprimendam puritatem, ac ſingularitatem huius Conceptionis, quia non maculata, vt aliorum hominum, &

mulierum, Dauidis, Mariæ Magdalenæ, & Mariæ
Pſal. 50.7. Aegyptiacæ, & ſimilium in peccato, ſecundum illud: *In peccatis concepit me Mater mea*. Horum enim
Iob 3. 2. non celebrat Eccleſia memoriam; ſed potius miſerandam deplorat conditionem, cum illo qui dice-
[illegible] 14. 15. bat: *Pereat dies in qua natus ſum, & nox in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo*. Cum igitur ex naturali modo genitis, ſolius Deiparæ Virginis celebretur Conceptionis feſtum, & non poſſit celebrari, niſi de Sancta, & Immaculata, meritò ad illius puritatem ſupra alias puras creaturas exprimendam, poſitum eſt Epitheton, *Immaculata*.

Amplius ab Immaculata Conceptione Virginis Mariæ hæc deuotio nuncupatur, quia licet in ea multa memorentur priuilegia illi meritò mortis Filij ſui à Sanctiſſima Trinitate conceſſa, ſingulariter nihilominus celebratur, & effertur hoc illius *Immaculatæ Conceptionis*, vt patet in formula ſolemnis præſertim recitationis huius Coronæ. Et quia hæc Conceptio eſt ſimpliciter primum Priuilegium ex omnibus Deiparæ
Suarez Tom. 2. in 3. par. S. Tho. diſp. 3. ſect. 8. collatis, quorum in Eccleſia ſolemnitas celebratur, & inſuper per propriam diſpoſitionem ſanctificata fuit, vt docet Sanctus Bernardinus apud Patrem Suarez. Vnde vt Prædicatorum Religio, quæ in ſua digniſſima Sanctiſſimi Roſarij deuotione multa commemorat Chriſtianæ Religionis myſteria, & nihilominus olim à primo Annuntiationis Virginis Mariæ, & Incarnationis Filij Dei rectè appellari, & in huius ſolemnitate illius feſtum celebrari voluit: Ita pij Sanctiſſimi Stellarij cultores meritò appellant ſuam Coronam *Stellarium Immaculatæ Conceptionis Sanctiſſimæ Virginis Mariæ*, quia puriſſimæ huius Conceptionis Priuilegium, eſt primum quod à cœleſti Patre accepit Deipara, & ſancta celebrat Eccleſia.

Locus

Locus Sacerrimi huius exercitij omninò probandus eſt; nam non eſt aliquod conuenticulum, vel hæreticorum, Hebræorumue Synagoga, ſed Catholicorum Templum, & Eccleſia, ſi loquamur de illius publico, & ſolemni cultu, & laudabiliter, quia ad hunc finem à Deo electa, ipſomet dicente: *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Si vero ſermo ſit de priuata recitatione, erit vel ſecretum cubiculum, vel quiuis alius locus, & meritò, quia ipſe Saluator dixit: *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, &c.* & Apoſtolus: *Volo viros orare in omni loco, &c.* Cum itaque Stellarij deuotio nihil contineat contra præſcripta, & ordinem Tridentini Concilij, nec hæreſim, nec quid ſapiens hæreſim, vel contra bonos mores, & pietatem contineat, à malo, & ſuſpicione mali aliena; ſed omnia in illa contenta pia, ſancta, & ad Deum glorificandum, & eius Sanctiſſimam Matrem ordinata, inualidè, & male ſuſpenſa, & interdicta fuit, ac proinde non trahenda ad Tribunal Sanctæ Inquiſitionis, vt condemnaretur, ſed vt approbaretur, quia in ea nulla punitionis materia, ſed omnia laudis, & exhortationis continent argumentum.

Deut. 14. 25.
Mat. 21. 13.
Mat. 6. 6.
1. Tim. 2. 8

Idem ſecundò comprobatur ex pœnis in Decretis Stellarium prohibentibus contentis. Secundum Doctores communiter in materia de legibus, non indicuntur pœnæ graues, niſi pro graui culpa, & mortali, quin immo ex pœnæ grauitate peccati tranſgreſſionis grauitas dijudicatur, quia pœna delicto proportionari debet, vt *pro menſura delicti ſit, & plagarum modus*, vt Dominus dixit: Vnde lex lata ſub pœna capitis, ſeu mortis, mutilationis, exilij, ſeruitutis, multorum bonorum amiſſionis, aut ſub pœna infamiæ, priuationis Officij publici, grauis cenſuræ, vt

Deut. 25. 2

maioris excommunicationis, & ſuſpenſionis grauis, & à diuinis, tunc obligat ſub mortali, & pœnæ ſic latæ non feruntur niſi ob mortale peccatum. Sed inallatis decretis infliguntur grauiſſimæ pœnæ Franciſcanis Superioribus, maioribus, & minoribus præcipuè Officiorum, & vocis actiuæ, ac paſſiuæ priuatio, atque à diuinis ſuſpenſio non prohibentibus Stellarij recitationem. Igitur mortale peccatum erit Sacram Sanctiſſimi Stellarij excolere deuotionē, & ab ea non abſtinere? Sed quid quæſo adeò vecors, & inſanus, ne dicam Chriſtianus, ſed Maurus, qui audeat hoc aſſerere? In Stellarij enim interdicta recitatione nihil eſt contra diuinam legem, ſed omnia eidem maximè conſona, nihil contra honorem Dei, & Sanctorum, & commune bonorum; ſed extollitur Dei in Virginem munificentia, eidemque collata munera plurimum commendantur, Chriſtiani Orbis procuratur vtilitas, accendere nimirum fidelium corda in Dei, ac Deiparæ amorem, vt ab eiſdem ſubſidium, & gratiam in tempore opportuno conſequantur. Non potuit ergo hæc deuotio iure interdici, & facta prohibitio nulla, quia in illa non eſt mortale peccatum, & tantarum pœnarum materia. Et conſequenter nulla ratione excogitari poteſt Decreta illa ab ęquiſſimis Pontificibus, & Iudicibus Sanctæ Inquiſitionis manare potuiſſe.

Dicent æmuli, & Marianæ deuotionis hoſtes, ne tam apertę veritati, diuinæ, & Eccleaſticæ legi refragari videantur, materiam Stellarij in ſe leuem, & mortalis obligationis haud capacem, illius tamen fieri capacem reſpectu circumſtantiarum, ſicut aliàs in ſimilibus accidit, vt cum ratione vitandi ſcandali, aut damni communis, & periculi violandi vota, & ob ſimiles rationes, ſuperiores ſilentium ſubditis præcipiunt,

piunt, vel interdicunt ingreſſum, & acceſsum ad illam domum, & locum, ſub grauibus pęnis, & cenſuris, & ſi materia in ſe leuis ſit, nec tantarum capax pęnarum. Ita grauibus pęnis prohibitum fuit Stellarium, non quia in ſe malum, ſed quia mali occaſio, nempè propter tres illa rationes ad initio Decreti adductas.

Sed enim rationes illas æmulis minimè ſuffragari iam vidimus; & refragari potius, & Stellarij prohibitionem maximi ſcandali fomentum eſſe, inferius apparebit manifeſtiſſimè. Ex hiſcè itaque colligitur allata ſurreptitia Decreta omnino inualida, & irrationabilia eſſe, et nullo modo nec cogitatione quidem à Sede Apoſtolica procedere potuiſſe; ſed ab hoſtibus Marianæ deuotionis, callido, ac ſuperbo Dracone ſugerente, qui halitu ſuo prunas ardere facit; fluxiſſe. Iob 41. 12.

CONSIDERATIO VIII.

Octauò, Quidam Pater Dominicanus in ſtatu Mantuæ Inquiſitor Generalis videns felicem exitum executionis Decreti Vrbani VIII. animum ſumpſit illud falſitatibus temerè augendi, vt pęnitus ab hominum mentibus auferretur Sanctiſſimi Stellarij memoria, edictumque edidit Mantuæ impreſſum Anno eodem 1640. quo Vrbani Decretum editum fuit, et in toto Mantuano Statu illius mandato euulgatum, eſt verò tenoris ſequentis.

EDIT-

Digitized by Google

EDITTO.

NOI Frà Pietro Martire Ricciardi d'Acquanegra dell'Ordine de Predicatori Inquiſitor Generale nello Stato di Mantoua.

Eſſendo altre volte ſtata prohibita certa deuotione intitolata lo Stellario, nella quale ſi recitano dodeci Aue Marie, diuiſa in trè poſte, aggiungendo vn Pater per ciaſcheduna, con alcuni verſi, antifone, & orationi con certe regole preſcritte. E di più eſſendo noi certificati, che ſi tenti di eriger Compagnie, & Oratorij ſotto il medeſimo titolo dello Stellario della Beata Vergine nella noſtra giuriſdittione contro la prohibitione già fatta altre volte per ordine della Sacra Congregatione; le quali nouità non eſſendo approuate da chi s'aſpetta, e volendo noi ouuiare alli diſordini, che ſogliono partorire ſimili inuentioni; per debito del noſtro Offitio. Commandiamo à qual ſi voglia perſona ſoggetta alla noſtra giuriſdittione tanto Religioſa, quanto ſecolare, ſotto pena di ſcommunica, & altre arbitrarie, che niuno ardiſca promouere, conuenire, eſortare, ne eſſercitare ſimili nouità dello Stellario ſodetto; obligando ſimilmente ſotto le medeſime pene, chi haueſſe copia, eſſemplari, regole, tanto manuſcritte, quanto Stampate di queſta inſtitutione, come anco Corone di detto Stellario nello ſpatio di otto giorni, doppo la publicatione, & cognitione di queſto noſtro Editto, portarle, e mandarle al Santo Offitio, obligando ſimilmente ſotto le medeſime pene di ſcommunica denontiare al Santo Offitio chi ſapeſſe li traſgreſſori, e quelli, che haueſſero ardire di contrafare à queſta noſtra prohibitione.

Data li 23. di Giugno 1640.

Con-

Conſidera nũc quæſo BEATISSIME PATER, & inter ſe confer Decretum Vrbani, & huius Inquiſitoris edictum, & clarè videbis, quot illi falſa temere addita fuerint. Decretum Vrbani tantum annullabat Congregationes, & Indulgentias, & illius publicam recitationem, et tunc tantummodo, et non alias facta fuit talis prohibitio, et tamen in Edicto Inquiſitoris ſemel, et iterum talem prohibitionem factam fuiſſe aſſeritur. Et vlterius, non prohibuit Pontifex priuatim Stellarium recitare, et hic Inquiſitor prohibet etiam illius priuatam recitationem, Coronas, etc. Addit amplius excommunicationis pęnam contrafacientibus ſuo Edicto, et ſi inualidum, et nullum, et contra Pontificis mentem; quia recitare Sanctiſsimi Stellarij Coronam, et eamdem apud ſe retinere, nec peccatum mortale eſt, nec alicuius impietatis vmbram habet, ſed magnam præſefert in Deiparam deuotionem. Sed abuſſatis ſibi calumnijs, et iniurijs ſe liberabunt Mantuani. Ex his conijce ſimilis farinæ homines, ſimilia, et fortè peiora Summis Pontificibus perſuaſiſſe, vt facilius ſubreptitia, et obreptitia Decreta ab eiſdem obtinerent, vt obtinuerunt, quæ non decepti, nullo modo conceſſiſſent.

Sereniſsima Mantuæ Duciſſa non cæca, nec otioſa, ſed oculata, et operoſa, fęmineæ cogitationi maſculinum animum inſerens, prudenter, vereque obſeruauit temere addita à ſuo Inquiſitore, ideò in tanti criminis pęnam, curauit, vt ſuo exueretur officio, et à ſtatu ſuo exiret; Et quia etiam verè putauit Vrbani Decretum vitio non carere, obtinuit à Sede Apoſtolica pro ſua Ciuitate, vt Sodalitas Stellarij cum Indulgentijs inſtitueretur, vt communiter dicitur.

Vtinam virilem hanc Mulierem imitati fuiſſent Stellarij Confratres, et Franciſcani Superiores, vt mani-

nife-

nifeſtatis euidentiſſimis vitijs, & abſurdis in dictis Decretis contentis, & ipſa Decreta ſublata fuiſſent, auctores puniti, & Eccleſia decorata remanſiſſet vtili, ac deuota Sanctiſſimi Stellarij Immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ deuotione. Et propter hæc quidem, & rationes mox ſubijciendas, Stellarij deſolata Confraternitas cum omni humilitate, & affectu ſupplicat Sanctitatem Tuam, vt obreptitia ſuſpendat Decreta, et in priſtinum ſtatum ſatis humiliatam Sanctiſsimi Stellarij Confraternitatem reſtituat.

Rationes octo pro reſtitutione Sodalitatis Sanctiſſimi Stellarij Beatæ Virginis Mariæ.

RATIO I.

Dictis octo præcipuis incommodis, pro eodem argumento octo ſubijciuntur rationes. Prima ratio pro reſtitutione Confraternitatis Sanctiſsimi Stellarij, deſumitur ex parte Summi Pontificis. Eſt Summus Pontifex communis, & beneuolus omnium fidelium Pater, quia omnes benignè ſuo gremio excipit & beneficiorum calore fouet. Cum itaque ſe beneuolum exhibeat Dominicanis Patribus, et alijs Sodalitatibus, illis annuendo, vt ad Dei, et V.M. gloriam ſuum recitare poſſint Roſarium, et iſtis ſuas frequentare deuotiones, omnibus Indulgentias, et ſpirituales gratias concedendo. Et quomodo interdicet Stellarij Confratribus, et Minoribus ſuum recitare Stellarium, et iam inſtitutam Sodalitatem. Et Minoribus in primis, qui peculiari ratione Virgini Deiparæ obſtricti ſunt? Sunt namque Minores per

San-

Digitized by Google

Sanctiſſimam Virginem ſpiritualiter in Eccleſia geniti,vt teſtatur Eccleſia *S. Mariæ Angelorum* Apud Aſſiſium, alio nomine *Eccleſia Portiunculæ* numcupata, quia in ea inchoatus fuit Ordo Fratrum Minorũ Mater, & caput eiuſdem puſilli gregis effecta. Igitur gratum animum non oſtendent,& interdicentur à perſoluendo tam iuſto penſo in animi grati teſtimonium, nec alios ad ſimile obſequium impendendum adhortari poterunt?

RATIO II.

Secunda ratio Summum pariter tangens Pontificem eſt, quia ipſe eſt communis omnium,& iuſtus Iudex,quia æquè diſtributiuam, commutatiuam, punitiuamque iuſtitiam in omnes exercere debet. Si itaque Pontifex temporalia, & ſpiritualia bona diſtribuit alijs Religionibus, Purpuras nimirum Mitras, Indulgentias, &c. concedat etiam Sodalitati Stellarij, & Minoribus ſpiritualia bona, Stellarij reſtitutionem cum ſimilibus Indulgentijs; nec enim terrena deſiderant,vt ſpiritualibus, & Cœleſtibus magis abundent.Interuenit commutatiua iuſtitia. Pij Stellarij cultores, Franciſcani Fratres, vel illi qui de Obſeruantia nuncupantur, vel Conuentuales, & Capucini, & alij Tertij Ordinis de pęnitentia, ſi non plus certè non minus Dei Eccleſiæ ſeruiunt, quam alij Religioſi, vt conſideranti compertiſſimum eſt, quare ergo pro tanti laboris præmio Stellarij reſtitutionem non obtinebunt, vt etiam magis in vinea Domini laborent? An hic locum habebit punitiua iuſtitia? Nullo modo, quia in Stellarij recitatione, nullum malum, ſed maximum bonum eſt, honor Dei, Deiparæ glorificatio, animarum ſalus, & Chriſtiani populi ædificatio. Et ſi aliter eſſet à multo tempore opportuno remedio occurriſſet Apoſtolica Sedes; & ſanè ſi malum in ea eſſet, poſt-

quam fraudulenta æmulorum perſuaſione, communiter quidem, & peculiariter à Franiſcanis Apoſtolico diplomate ablata fuit, iterum alijs non conceſſiſſet Sanctiſſimus Pontifex, vt conceſsit, vt ſtatim videbimus. Et ſi aliquid mali in Confraternitatis Stellarij reſtitutione, & publica eiuſdem recitatione reperitur malum auferatur, & totum non deſtruatur.

RATIO III.

Tertiò, reſtituenda eſt in priſtinum Confraternitas, & deuotio Sanctiſsimi Stellarij, vt tollantur ſcandala, tàm catholicorum, quàm hæreticorum, & infide-
Mat. 18. 7. lium. *Væ enim mundo à ſcandalis, & væ homini illi per quem ſcandalum venit*, ait Dominus. Magnum ſanè ſcandalum paſsi fuerunt fideles, & in primis Deiparæ, & Stellarij cultores; Videntes enim iſti quod in multis Prouincijs, & Regnis totius Chriſtiani Orbis, & eiſdem præcipuis ciuitatibus magno cum ſpirituali prouentu, ſolemnitate, ac maieſtate recitabatur publicè Stellarium, lucrabantur Indulgentiæ Sodalitates inſtitutæ erant, & in dies inſtituebantur, & de repente videre, Pontificio diplomate ablatas Stellarij Confraternitates, eiuſdem Indulgentias, & publicam recitationem, non poſſunt non niſi mirari, & ſcandalizari, & cum huiuſcemodi prohibitionis rationem Stellario tribuere non poſsint, quoniam Sanctiſsimū, & laudatiſsimum eſt, illam reijciunt in æmulos, & aduerſarios. Quodque ob intereſſe illorum temporale illius deſtructionem procurauerint.

Augetur amplius ſcandalum, conſiderantes per Decretum Vrbani VIII. Anno Domini 1640. emanatum, quo ſublatum fuit Stellarium, & Indulgentiæ annullatæ, & tamen An. 1642. in Decreto edito, ab eodem Pontifice ad inſtantia Duciſſæ Mantuę, & in alio expedito, An. 1643. ad ſupplicationem Confraternitatis

Stellarij Panormi, conceſsit idem Vrbanus vtriuſque Confraternitatis Confratribus Mantuæ, & Panormi, vt toties, quoties recitarent Stellarium lucrarentur 60. dies de vera Indulgentia, vt experti, & oculati inſpectores confeſsi fuere. Et quod nihilominus alij fideles hiſcè gratijs perfrui non poſsint, ſuſpicantur, ſint ne iſti, vt illi Pontificis filij,& ſi ſunt, quare non ſimiliter ac illi fruuntur bonis, & hæreditate patris?vel certè ſibi certò perſuadent Chriſti Domini in terris Vicarium eſſe perſonarum acceptorem,quod grauiſſimũ crimẽ eſt,nullo modo de tãto Patre excogitãdũ.

Alij pariter non infimæ conſiderationis viri, hiſtoriæ huius ſeriem non ita probè calentes, ſcandalum paſsi ſunt, videntes ex improuiſo Sanctiſsimi Stellarij, & eiuſdem Congregationum ſuſpenſionem, & abrogationem,credentes in his errores, & hæreſes contineri, & ita apud huiuſcemodi Stellarij cultores cum Minoribus grauem ſuſpicionẽ hæreſis incurrerunt,& quod ſcandalum ſimplices, & puſilli hinc paſsi ſunt? Scandalum adhuc patientur puſilli; & ſemper veneranda Apoſtolicæ Sedis auctoritas contemptibilis reddetur, primò quia Stellarij cultores ſuo conſulentes honori, certiſsimè affirmabunt, & euidentiſsimis rationibus comprobabunt, ſubreptionem prohibentium Decretorum,& inualidè prohiberi illius recitationem, & tamen ab Eccleſiæ Præſulibus tanto non occurri incommodo.

Secundò,quia fortaſſe aliqui ex Stellarij cultoribus probè ſcientes Decretorum inualiditatem,non deſiſtent ab illius recitatione, quod non fiet ſine paruulorum ſcãdalo, credentes iſti hoc illos facere in Apoſtolicæ Sedis contemptum, quod faciunt zelo honoris Dei, Virginis Deiparæ, & ſalutis animarum. Et ecce ex quam multiplici capite PATER BEATISSIME, in-

ter fideles oriuntur ſcandala ex prohibitione, & ſuſpenſione recitationis Stellarij,& eiuſdem Sodalitatis.

Scandalizantur hæretici, & infideles, & in aliquibus ſuis firmantur erroribus, aduertentes propter temporales reſpectus, ſpirituales gratias auferri, vel concedi, & hinc animum ſumunt dicendi, Angelicam ſalutationem, & Deiparæ inuocationem, quæ in ea deuotione fit,illicitam eſſe.Item recitare preces ad numerum, & earumdem publicitatem, quæ eſt in Stellarij publica recitatione, cum enim nec *Pater noſter,&c. nec Gloria Patri,&c.* damnare poſsint, nec verè damnent,dānant verò tàm ſalutationem Angelicam, quàm determinatum precum, numerum, vel cantum, & altam laudum Chriſti, & Virginis Matris recitationem.

Amplius Blondellus quidam Caluiniſta, vt aſſeritur à fide dignis, in quadam à ſe edita, vel mox edenda lucubratione, *Demutata tandem,quæ hactenus inuariata, & immobiliter firma habebatur fides Romanæ Eccleſiæ;* argumento ducto ex eo, quod eraſum eſſet ex albo feſtorum agitandorum, cum ceſſatione à ſeruilibus, quod prius iam ab aliquot ſæculis ſolemniſsimū erat feſtum Conceptionis Beatæ Virginis. Itemque ex eo, quod vetentur nunc Catholici dicere, & vulgare Cōceptionem Deiparæ eſſe Immaculatam, quod prius dicere, & edicere ſinebatur. Ita iſte,& hæretici alij ob mutationem circa Stellarium factam ſcandalizati, in ſuis magis affirmabuntur erroribus. Eſt verò Eccleſię hoſtibus occaſio opponendi illi inſtabilitatem in Religionis negotio ſubducenda.

Si dicatur,priuatam Stellarij recitationem eſſe permiſſā? Reſpondetur ex quo publica eſt interdicta cum Sodalitatibus, & Indulgentijs, alia non euitari incommoda. Et præterea ex quo publica eſt interdicta, ingeritur ſuſpicio erroris in ipſa priuata recitatione, qua-

re

Digitized by Google

re innumeri ab ea ſe abſtinuerunt, & abſtinent, Vnde aliqui offerendo, & conſignando Stellarium Inquiſitori Mantuano, iuxta illius inualidum edictum, ſimul obtulerunt Roſarium, & aliam Deiparæ Coronam, quæ ſimiles continent preces, ac conſequenter tot orandi modos contemnunt.

RATIO IV.

Quartò Sanctiſsimi Stellarij recitationis prohibitione impeditur Ordo Diuinæ Prouidentiæ. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, & omnes eſſe ſanctos, dicente Apoſtolo: *Voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, ac propterea varios præſcripſit modos, vt ad illam diuerſi hominum gradus peruenire poſsint fortiter, & ſuauiter, etiam ſecundum cuiuſque naturalem affectum, & inclinationem. Ideoque multas ac diuerſas voluit inſtitui Religiones, Sodalitates, ac precandi formulas, omnes bonas, & ſanctas, vt cui vna non placet, is alteram fructuosè eligat, & qui prolixam non amplectitur, breuem non reijciat; ſed dum breuis modus orandi Stellarij interdicitur, ſimul impeditur effectus diuinæ Prouidentiæ, ſpiritualis nimirum profectus, qui ex illius proueniret recitatione hoc recitantibus, & non prolixam Roſarij, vel aliam ſimilem admittentibus. 1 Thi. 2. 4 1. Thel. 4. 3

RATIO V.

Quintò, ex prohibitione Stellarij Deus omni laude digniſsimus, & eiuſdem Sanctiſsima Parens, ſemper laudanda maxima priuantur laude; deuoti Stellarij magno merito, & in vniuerſum fideles omnes ſubſidio, & ſuffragio, & hoc propter innumeram multitudinē cultorum Sanctiſsimi Stellarij, quibus omnibus acceptæ iſtæ laudes, & preces interdicuntur.

Et quot erunt Stellarij deuoti? Suſpice cœlum, & numera Stellas ſi potes, ſic erit hæc ſacra proles. Stellarij Confraternitates multæ, Confratres, & ſorores innumeræ.

Digitized by Google

merę. Quibus ſi addas Franciſci filios,& deuotos omnes ferè ſancto huic exercitio addictos, numerus in infinitum excreſcet. Tres Sanctus Franciſcus inſtituit Ordines, Fratrum Minorum, Pauperum dominarũ, ſiue Clariſſarũ,& Tertiũ de pęnitẽtia, qui vtrumq; capit ſexũ,& hi ſemper plurimũ multiplicati fuerũt. Primus Minorum, adeò multiplicatus eſt, vt tres propriè numeroſas contineat Religiones, Conuentualiũ, Obſeruantium, Capucinorũ. Secundus diuiditur in Clariſſas primæ, et ſecundę Regulę, quibus adde Tertiarias Sãctæ Eliſabeth, Conceptionis, et Annunciatas. Tertius Ordo diuiditur in eos qui emittunt tria Religionis vota, et ſunt verè Religioſi, et in illos, qui illa non emittunt, viuunt tamen ſub certa approbata Regula, et sũt propriè ſæculares, et hi omnes penè innumeri ſunt, quibus etiam ſi Cordigeros iungas amplius excreſcet numerus, qui omnes ferè ſacro Stellarij cultu Deum, et Deiparã fructuosè laudabant. Cæterum ex quo interdictum, vix pauci illud priuatè recitant, et ita Deus, cum Virgine Deipara maxima priuatur gloria illi à creaturis debita, et iſtę deſtituuntur fructu ex tam pio, et nobili exercitio proueniente.

RATIO VI.

Sextò, his rationibus iunguntur aliæ, quæ adducebantur pro abrogatione Stellarij, ſed eã minimè concludẽtes, ſed pro illius reſtitutione conuincẽtes. Igitur ſexta ratio ſit reſtitutionis Stellarij. *Ne oriantur in Eccleſia contentiones.* Iam ſunt exortæ inter Stellarij deuotos, et eiuſdem aduerſarios, quę ſanè nũquam extinguentur, niſi in ſtatũ priſtinũ S.^mi^ Stellarij deuotio reſtituatur.

RATIO VII.

Septimò, *Ne foueantur exortæ.* Fouebuntur ſanè, et augebuntur contentiones, tàm inter Fratres, quàm inter ſæculares exortæ, ex prohibitione Stellarij, niſi reſtitua-

tuatur, et charitatis vinculum penitus diſcindetur, nec enim poteſt aliter fieri, vt conſtat.

RATIO VIII.

Octauò, vt ex ſancta iſta deuotione alii promoueantur, non quidem ad nouas, et vanas, ſed ad hanc piiſsimã, et ſanctiſsimam, ſimiliũq; deuotionum frequentiam, æmulantes chariſmata meliora. Conſultò prætermittũtur reuelationes, et miracula, quibus probari poſset, quã ſit Deo, et Deiparę accepta, et fidelibus vtilis Stellarii deuotio, tùm quia apud alios inueniri, et videri poterunt, tùm ne præbeatur occaſio æmulis amplius detrahendi, eſſe ſomnia, et fictas, inuentiones cultorum digniſsimæ huius deuotionis, etc.

Propter hæc itaque deſolata, et humiliata nimis Sanctiſſimi Stellarii Deiparę Virginis, Sodalitas ad tuos prouoluta pedes, PATER BEATISSIME, ſuppliciter precatur, vt eam in puluerum ſepultam, et immerito conculcatam ſuſcitet, et nedum ad priorem, ſed etiam ad glorioſiorem ſtatum ſubleuet.

Et vt quondam Propheta Deniel nobilem, ſanctãq; Suſannã iniuſtè calumniatã ab infamia, et morte liberauit, et Apocalyptica mulier à perſequente dracone cum ſua prole protecta. Tu pariter iniuſtè diffamatam Stellarii Sodalitatem tuam, optime Pater, et æquiſsimus Iudex ab infamia libera, illam in ſtatum priſtinum reſtituendo, tuiſque benefitijs fouendo. Dan. 13 63 Apoc. 12. 6

Nec ex hoc dedecus, et inſtabilitatis nota ſequetur; ſed magna tibi aduenict laus, et gloria, et Sanctiſsimos, et ſapientiſsimos prædeceſſores tuos Romanos Pontifices imitaberis. Vt enim S. Auguſtinus Creſconio ingerens mutationẽ prioris iudicij, enubilata veritate, in laude eſſe, nec vllam incurri infamiã in illa mutatione: *Quia ſententiam falſam numquã tenere, prima laus eſt, ſecũda mutare.* Vnde Summi Pontifices ex rationabili Lib. 3. contra Kunõ. cap. 3.

cau-

cauſa,prius edita Decreta per poſteriora mutauerũt, & etiã abrogauerunt.Præcedat vnũ,& alterum exemplum. Paulus V. ſpeciali Decreto multas reuocauit Indulgentias prius Confraternitati S.mi Roſarij conceſſas,& nihilominus idẽ Pontifex ad ſupplicationem Patris Generalis Ordinis Prædicatorũ, An.Dñi 1608. illo reuocato Decreto, per aliud ſubſequens, omnes Roſarij Indulgentias confirmauit.

1 i Congr. Sanctæ R. Vniuerſalis Inquiſitionis.

Gregorius XV.Conſtitutione edita 24. Maij 1622. *Ad euitanda ſcandala, & diſcenſiones in populo Chriſtiano.* Præcepit omnibus,& ſingulis cuiuſq; Ordinis,& Inſtituti Regularibus,et alijs quibuſcũq;tam Eccleſiaſticis, quã ſæcularibus ne de cetero donec controuerſia de Conceptione B.V.Mariæ,vt articulus fidei diffiniatur per Sedẽ Apoſtolicã,vel Sanctitatẽ Suã,et Sedẽ Apoſtolicã fuerit aliter ordinatũ, neq; etiã in ſermonibus, & ſcriptis priuatis audeant aſſerere,quod eadem B.ma Virgo fuerit cõcepta in peccato originali,nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere,ſeu tractare.

Et nihilominus idẽ Põtifex in altera ſua Cõſtitutione,quę incipit: *Eximij,&c.* in gratiã Patrũ Prædicatorũ cõceſſit,vt de cetero in quibuſcũq; priuatis eorũ colloquijs, ſeu conferentijs inter ſe dũtaxat,et non inter alios, aut cum alijs de materia Conceptionis B. M.V. diſſerere, & tractare,abſq; vllo pœnarũ in Decretis Pauli V. et eiuſdẽ Gregorij cõtentarũ incurſu,liberè, et licitè poſſint, et valeant. Igitur,et Tu PATER BEATISSIME in gratiã Confraternitatis Stellarij,Seraphicę Religionis,ac deuotorũ Deiparæ,et Immaculatæ Virg.Marię contrario Decreto alteri nõ tuo quidẽ,ſed ſub tuo nomine falsò euulgato, reſtitue illi S.mi Stellarii Confraternitates Indulgentias, et publicã eiuſdẽ recitationẽ, vt Deus cum ſua Deipara magis glorificetur, totus Chriſtianus Orbis illius ſalutares fructus percipiat, et Tu immarceſſibilem iuſtitiæ, et gloriæ Coronam conſequaris. Amen.

Tom. 4. Bullarij Conſtit. 19. Greg. XV.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE